



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Imperator Theodosius conscriptis maximis contra Maximum copiis,
eodem tempore quo natus est illi ex Placilla Honorius, Archadium
Constantinopoli reliquit, ipse Mediolani cum tyranno confligit. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

tem tum proficisci constituit. Absque mora igitur decedit ex Italia : atque in Illyriam contendens, Thessalonica, que est in Macedonia, commoratus est.

Quod Imperator Theodosius conscriptis maximis contra Maximum copiis, eodem tempore quo natus est illi ex Placilla Honorius, Archadium Constantino- poli reliquit, ipse Mediolani cum tyranno confligit.

C A P. XII.

Theodosius Imperator ob hanc causam in magnam sollicitudinem coniectus, quam maximas copias contra tyrannum conficit, admodum veritus, ne eadem etiam Valentiniano iuniori moliretur. Eodem momento legati Persarum aduentant, pacem ab Imperatore petituri. Etiam tum filius Honorius Imperatori ex Placilla coniuge natus est, Rhycomeliano & Clearcho Coss. quinto Id. Septembris. Eisdem quoque Coss. Agelius Nouatianorum Episcopus, paulo ante natum Honorium à vita migrauerat. Anno sequenti, ad primum consulatum Arcadij Augusti, & Vadonis, cum Tomitheus Episcopus Alexandriae extremum diem obierat, Theophylus eum capessit Episcopatum. Anno post, ubi Demophilus sectae Arianæ Episcopus supremum vitæ diem confecerat, Ariani Marino suæ ipsorum sectae Episcopo ex Thracia accersito, Episcopatum eius impatiunt. Marinus autem, cuius temporibus secta Ariana sicut à me dicitur postea, diuisa erat, non diu vitam propagauit. Dorotheum igitur ex Antiochia Syriæ accitum, suum episcopum designant. Imperator ad bellum contra Maximum gerendum ire pergit, Arcadio filio suo Constantinopoli Imperatore relicto. Qui ubi Thessalonicam venit, offendit milites Valentiani ægritudine fractos, quod necessitate inducti, tyrannum Imperatoris loco admisissent. Theodosius autem se neque in hanc, neque in illam partem propendere propalam declarauit. Nam legatos Maximi ad se missos, neque rececit, neque admisit: & tamen Imperium Romanum nominis Imperatorij simulatione, tyrannide oppressum iri, videre iniquo animo tulit. Proinde collecta militum manu, Mediolanum proficisci maturat. Nam illo aduentarat Maximus.